



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

VIII. Semel malus semper praesumitur esse malus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62649)

dispositione privilegium mariti ejus filius hæredibus prodest, cum; quod hi personam patris repræsentent: tum verò; quod ipsa quoque natura non patitur, ut mater durior, quàm in maritum, sit in liberos ex eo susceptos; quod his, alimenta aliunde non habentibus, ea ministrare teneatur mater, cujus viscerum pars quædam & portio sunt.

REGULA VIII.

Semel Malus semper præsumitur esse malus.

SUMMARIUM.

1. Sensus & ratio Regule,
2. Alium malum consummatum supponens,
3. Et ad idem mali genus restringenda.
4. Probationem in contrarium, admittit,
5. Et aliquando malitia confirmationem.

Regulæ istius, ut jacet, sensus clarus est; quamvis enim quilibet homo bonus esse præsumatur: donec malus appareat, aut esse legitimâ probatione convincatur, *c. Unico, de Scrutinio & c. fin. de Præsumpt.* nihilominus, postquam semel quis v.g. peierando aut prævaricando deliquit, malus, sive perjurus & prævaricator tamdiu præsumitur, donec peccatum per poenitentiam expiasset, & animum mutasse appareat, aut probetur, ut etiam desumitur ex *can. Parvuli 22. q. 5. c. Scribam 9. de Præsumpt. & l. Sicuti 5. §. 2. ff. de Accusat.* Ratio est; quia ex præteritis præsumitur de statu futuro & præsentis, *c. Mandata 8. de Præsumpt.* neque enim mutatio animi; cum sit quid facti, præsumitur; sed

ex actibus contrariis probanda est, *l. Eum qui 2. ff. de Probat. & c. Majores 3. de Baptismo*, cujus §. *fin.* dormientes & amentes, qui ante amentiam vel somnum à Baptismo fuere alieni, baptizari non permittuntur; quod, cum mutatio non præsumatur, in eis contradictionis propositum perseverare, intelligatur.

Non malè tamen Glossa & Interpp. ceteri Regulam hanc restringunt, vel potius declarant Imprimis; ut procedat, quando actus malus fuit in fine; non in principio tantum, sive quando delictum, cum posset, non fuit consummatum; quod à delicto inchoato liberè ac sponte desistens videatur resipuisse. Deinde; ut procedat de eodem genere delicti: nec porrigatur ad diversa; cum non eò ipsò; quod quis adulterinæ consuetudinis sit reus, etiam usurarius aut homicida esse præsumatur, *Clarus §. fin. q. 21. n. 1. & Barbosa hic n. 8.*

Quæ contra Regulam sic declaratam adducuntur, facile diluuntur. Opponi enim solet Primò; quod quilibet præsumatur bonus, nisi probetur malus, *c. Unico cit. & l. Merito 51. ff. Pro socio.* Sed hoc verum duntaxat est, quando actus malus non præcessit, & præsumptionem illam non enervavit; cum enim mutatio in dubio non præsumatur, qui in aliquo genere semel malus est, talis perseverare præsumitur, donec appareat vel probetur in eo bonus.

Secundò, unus actus non sufficit; ut quis mercator, opifex, strenuus athleta dicatur. Ergo nec unus actus, ut præsumatur malus. Sed illatio hæc nulla, latæque disparitas est inter mercatoris &c. malique appellationes; quia mercatoris, opificis, athletæ appellationes ex ipsa nominum institutione denotant tractum, seu frequentatum certi generis actuum exercitium, usumque: non etiam appellatione mali

tio mali in certo genere delicti; cum eum, qui semel pejeravit aut prævaricatus est, ejusmodi delicta facile repetiturum, rationabilis ipsius Juris præsumptio fit.

5. Tertio, semel contumax non præsumitur semper contumax; cum semel peremptoriè citatus & contumaciter absens denuò citetur, *c. Ex literis 2. de Docto*: quod minimè necessarium foret, si eum in contumacia perseveraturum lege præsumeretur; cum, qui non compariturus certò scitur, non citetur, Gaill. *Lib. 1. Observat. 132. n. 8.* Sed neque hæc instantia urget; cum enim secundò citati & non comparentis contumacia gravior sit, & gravioribus poenis coërceatur, quàm non comparentis ad ejusmodi citationem primam, præsumptio perseverantiæ in contumacia non ita vehemens est; ut contra eum, tanquam in contumacia perseveraturum, sine nova citatione procedi possit; quia Jura & judiciorum ordo ad hoc exigunt; ut de contumacia manifestè & certius quàm ex ejusmodi præsumptione constet.

Quartò, juramenta Calumniæ, Fidelitatis, Obedientiæ etiam à perjuris recipiuntur & exiguntur, *c. Cum in Ecclesiis 10. de Majorit.* quia, licet hoc procedat de juramentis, quæ cedunt in præjudicium jurantis, eumque onere sive obligatione gravant: non tamen procedit, neque ejusmodi personæ admittuntur ad juramenta ipsos ab onere relevantia & cedia in præjudicium aliorum & in commodum jurantium, *Glossa in c. cit. V. Juramentum, ubi Panormit. n. 4. & Laiman. n. 3.*

REGULA IX.

Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum.

SUMMARIUM.

1. Alieno nomine negotia variè geri:
2. Suoque nomine gesta rata quis habere potest.
3. Ut Juris fictione ipsius sint.
4. Sensus Regulae.
5. Quæ declaratur exemplis.
6. Firmatur ratione.
7. Et impugnatur variis instantiis:
8. Quæ tamen Regulam vel non petunt,
9. Vel solummodo declarant.

Gerere hoc loco idem est, quod administrare; ut negotium gerere intelligatur is, qui id administrat. Alterius autem nomine negotium gerere dicitur Imprimis is, qui gerit vel administrat id, quod scit nostrum & ad nos, non ad se, pertinere. Deinde qui, id ad alterum pertinere ejusque nomine geri, est protestatus, *l. Neseinius 34. V. Quid enim ff. de Negot. gest.* Demum is, inter quem & alterum intercedit amicitia; qui enim hujus fidem fecerit, negotium amici nomine gessisse, prudenter judicatur, *l. Si pupilli 6. §. 6. ff. eadem Rubr. Peckius ad hanc Reg. n. 4.*

Ratum habere est id, quod à non vero procuratore nostro nomine gestum est, comprobare & agnoscere, itaque facere suum, *l. Quod enim 12. §. 1. ff. Rem ratam hab.* Ut id, quod meo nomine gestum est ab alio, fictione Juris translativà à me gestum reputetur.

Est enim Fictio Juris triplex. Inductiva, Privativa, Translativa. Inductiva sive, ut etiam nuncupatur, affirmativa est, quæ lex vel canon fingit esse, quod non est, *vg. defunctum vivere in hereditate jacente, l. Non minus 31. in fine. ff. de Hered. instit.* Privativa, quæ è diverbo non esse fingitur, quod re ipsa